

Maria tantis dotata meritis dignitatum ? Dicamus ergo, & veraciter confiteamur, quod sacratissimum illud corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & humanam naturam divinam conjunxit, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat, ut Verbum caro fieret; non est esca verbum tradium, sed in dextera Dei clarificatum. Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed caelestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est; sed cum esset animatum coelum, in caelestibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem gustaret ? Sed cedit legi lata ab eo quem genuit, & ut filia veteris Adam, veterem sententiam subjicit:) nam & eius filius, qui est vita ipsa, eam non reculavit:) ut autem Dei viventis mater, ad illum ipsum dignè assumitur. Gaudeat ergo Virgo virginum; cuius Rex speciem concupivit, eamque in gloriae suae dextera collocavit ! Exultet caelum, tantæ Reginae gloria sublunatum: laetetur & mater Ecclesia, tantæ virginis illustrata decessu.

Secundi Reg. 6. Abijt David, & adduxit arcam Dei de domo Obed-edom in civitatem David, cum gaudio; & erant cum David septem chori: & David saltabat totis viribus ante Dominum.

Tertij Reg. 8. quando intulerunt sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in sancta sanctorum subter alas Cherubim; Salomon cum omni populo festivè gradiebatur, festivitatem celebrabat, in gaudio festum diem agebat. Hodie sacra & animata arca Dei viventis quæ suum in utero concepit creatorem, requiescit in templo Domini, quod nullis est extructum manibus: & David exultat ejus parens, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, & virtutes glorificant, Principatus exultant, Potestates collatantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim. Si tam magno devotioris affectu tota in ejus occursum caelestium legionum prodijt multitudo; si solemnibus ad thronum gloriae canticis per eos est deducta; si Angeli de humana naturæ super suam exaltatione lætantur: temperabit à gaudio creatura fragilis de suæ ipsius super Angelicam sublimatione naturæ ? Plaudat igitur humana fragilitas, & in suæ matris Assumptione lætetur. Dignum enim est etiam super flumina Babylonis, ejus nos recordari, ejus communicare gaudijs, ejus participare læticiam; maxime quia tam copioso impetu lætificat civitatem Dei, ut sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram.

Tertij Reg. 18. postquam nubecula quasi vestigium hominis ascendit de mari; facta est pluvia grandis, quæ precedentium annorum sterilitatem aboleret. Hodie de mari hujus mundi ascendit nubecula Virgo Maria, Ascendit nubes levis, super quam Dominus ascendit ut ingrederetur Ægyptum. Isaia 19. An non expectabimus pluviam voluntariam, quam segregavit Deus hæreditati suæ ! Illuc ascendit unde omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit: Ascendens in altum Virgo beata non dabit dona hominibus ? quid ni donet ? Nec voluntas ei deesse poterit, nec facultas: non voluntas, quia mater est misericordiae; non facultas, quia mater est omnipotentis & unigeniti Filij Dei.

Tertij Reg. 2. Salomon matri suæ, Pete (inquit) Sylv. Oraciones Theologicae.

A mater mea; neque enim fuis est ut avertam faciem tuam. Ecce pluraquam Salomon hic, quid tali matris talis filius denegabit ?

Gen. 27. Rebecca filio suo Jacob benedictionem obtinuit: Secundi Reg. 14. Mulier Thecuitis Abalonem patri reconciliavit: Esther (7. cap. & 8.) Judæis morte damnatis vitam recuperavit: hæc nostra Regina simplicitatem Jacob imitantibus, caelestem benedictionem; & rebellibus, pacem; mortuis vitam impetravit; atque instar Abigail, Davidem iratum placantis, 1. Reg. 25. propitium nobis faciet Regem, qui nisi conversi fuerimus, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum; & cum iterit in conspectu Dei adorandum, avertet indignationem suam à nobis. Quid ergo ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas ? nihil in ea austerum, nihil terribile, tota suavitas est.

Trepidas quia peccator ? est refugium peccatorum. Trepidas quia sitibundus ? est puteus aquarum viventium, Cant. 4. Trepidas quia gradus ad vitam ignoras ? est scala Jacob, cujus summitas caelos tangebatur. Trepidas quasi exclusus à paradiso ? audi ecclesiam, Paradysi portæ per te nobis aperta sunt. Amplectamur ergo Mariæ vestigia, & devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Tenemus eam, nec dimittimus donec benedixerit nobis, potens est enim. Nempè velus est, medium inter rorem & arcam; mulier, inter Solem & Lunam; Maria inter Christum & ecclesiam constituta. Et quia media est, securum ad Deum habemus accessum; ut docet Bernard. Nam mater stat ante filium; Filius stat ante Patrem. Mater ostendit filio pectus & ubera; Filius Patri latus & vulnera. Quomodo posset esse repulsa, ubi sunt tot amoris insignia ? Intrepidi ergo accedamus ad matrem; per matrem veniamus ad filium. Sicut enim cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reverentia: sic & nos in hac lachrymarum valle clamantes exaudit pro reverentia suæ matris.

DIXI.

D Habita est hæc oratio in Collegio Regio anno 1608. 15. Augusti.

ORATIO II.

Teneaturne pastor ministrare Sacramenta tempore pestis.



UOD pro casuum disputationumve resolutionibus aliquando dicitur, Viri gravissimi, Auditores benevoli, animarum pastores usque ad eam gregi suo obligatos, ut neque pestis, neque alterius cujuscumque morbi letale periculum eos excuset, quo minus subditorum confessiones audire, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, atque Unctionis extremæ sacramenta eis ministrare debeant; velut paradoxon, & ab ejusmodi qui alligant onera gravia & importabilia, Matth. 23.

Es imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere, profectum, aliquibus videtur: ad eam nonnulli Capharnitarum instar dicere audeant, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire ? Joannis 6. Si ita est negotium pastoris cum grege; non expedit pascere. Hoc an ita sit, examinare, nec presententi cætu indignum, nec auditorio reor inutile. Primum igitur cur oves domini-